

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.

Wersja sandomierska

Rękopis Archiwum Państwowego w Przemyślu, Akta Miasta Przemyśla, sygn. 428, s. 25–53

Edycja krytyczna: Maciej Mikuła

[1] [s. 25] Cesar Otto Ruffus fundavit templum in Meydburg et dedit civibus municipale ius secundum eorum arbitrium et secundum consilium seniorum. Extunc arbitrati sunt, quod eligerent scabinos ac consules, scabinos ad diuturnum tempus et consules ad unum annum. Qui tunc iuraverunt et nunc iurant singulis annis, dum eliguntur, ius ac profectum et honorem custodire et agere, quanto caucius aut melius sciant aut possunt, cum consilio ac iuvamine seniorum. Consules exponunt suum conventum secundum suum placitum ac voluntatem cum seniorum consensu. Consules etiam habent potestatem iudicandi super quamlibet mensuram vacuum ac pondera iniusta, choretos iniustos et cuiuslibet cibi et potus mercimoniam. Et quicumque hoc violaverit, demeretur tres Slavonicas marcas, que faciunt triginta sex solidos. Quando consules suum exponunt conventum, extunc quid ibi statutum fuerit aut compromissum in isto conventu, pro iure divino non contradicat, firmum et inviolabiliter debet observari. Et quicumque hoc violaverit, consules habent agere contra ipsum. Et quicumque ad conventum venire neglexerit, cum signum datur per campanam, demeretur sex denarios. Sin autem conventus sibi pronunciatus fuerint, demeretur quinque solidos.

[hasła: rajca, ławnik, rada, starsi, Magdeburg, cesarz, kadencja, miara, waga]

[2] De iure penesticorum. Capitulum secundum

Qui penestici vocantur, si in aliquo demerentur vel si in aliquo delinquerint in statutis civitatis, ita ut consulum decreta violaverint, si in hoc convicti fuerint, demerentur cuttem cum crinibus aut tres solidos. Et hoc arbitrio consulum comittitur, quod horum recipere velint. Quando penesticus consulum aut civitatis statutum infringerit foro infranito, [s] ita quod cuttem cum crine demeretur et cum pecunia redimet, hic manet sine iure et non potest a modo aliquem forum comestibilem absque civitatis aut consulum exercere. Et si alii homines, qui communitatem aut fraternitatem habent in comestibilibus, consulum seu civitatis compromissum, hos oportet emendam dare secundum ius et edictum civitatis, non possunt ulterius aliqua comestibilia vendere, nec communitatem habere seu acquirere absque consensu consulum et civitatis.

[hasła: kupiec, rajca, cech, cena, kara na skórze i włosach, targ, statut, wilkierz, zezwolenie, nawiązka]

[3] De iniustis mensuris et iniustis ponderis. Capitulum III

Si metrete aut alie mesure parve seu iniuste fuerint et iniuste pense, quod consules bene agere possunt secundum honorem civitatis aut cum triginta solidis emendare.

[hasła: miara, waga, kara, rajca, nawiązka]

[4] De tribus iudicibus provincialibus. Capitulum IIII

Ille supremus iudex, qui in Meydburg iudicio presidet, hoc est castellanus, qui sedet tria iudicia tam <primus sexternus^a> [s. 26] in anno: unum iudicium in die sancte Agathe, secundum in die sanctorum Johannis et Pauli, tertium in octava Martini. Si deciderit aut evenerit aliquod horum ad diem celebrem aut feriatum, extunc ammisit suum iudicium. Et si scultetus aut solus castellanus ad iudicium non venerit, quia scultetus castellano primam sententiam debet invenire, et si scultetus non venerit^b ad castellanum, extunc decem talenta demeretur, nisi legale impedimentum, quod probare potuerit, ut ius dictaverit. Quicquid criminalis cause factum seu commissum fuerit quatuordecim diebus ante suum iudicium, hoc castellanus debet iudicare et nemo alius.

^a na dolnym marginesie, ręką autora podstawy; ^b pierwotnie invenerit, in zamazane

[hasła: Magdeburg, sędzia, kasztelan, sądy wielkie, sołtys, przestępstwo, roczek, posiedzenie]

[5] De iudicio burgrabii. Capitulum quintum^a

Stuprum et obsidia te irruenciam domiciliorum iudicat castellanus et nullus alter. Sed si castellanus presens esse non poterit, extunc cives eligunt unum iudicem loco castellani pro excessu manifesto. Castellani pena et reconpensa, quod aquisitum fuerit in iudicio bannito debet solvi per sex ebdomadas. Pena castellani tria talenta. Pena sculteti octo solidi. Quando castellanus surgit et iudicavit, tunc iudicium suum expiravit. Et statim iudicium sculteti disponit a proximo ad duas septimanas.

^a powyżej ponownie nadpisane Capitulum quintum czerwonym inkaustem

[hasła: Magdeburg, burgrabia, zasadzka, podpalenie, napad na dom, kasztelan, sąd, kara sądowa, termin, zapłata, wynagrodzenie]

[6] De iure sculteti de tribus iudiciis. C[apitulum] sextum

Scultetus eciam habet tria iudicia in anno legalia: unum in Epiphania Domini aut in die sequenti, [secundum] tertia feria post conductum Pasche, tertium feria tertia post festum Trinitatis. Post hec disponit sua iudicia ad duas ebdomadas. Si dies

iudicialis evenerint ad diem celebrem, bene potest <ultra^a> diem unam aut duos dies post diem celebrem iudicium suum disponere. <Capitulum VII^b> Iudicium sculteti nemo hominum potest indicare [s], nisi solo scultetus aut preco, aut suus famulus. Quod si scultetus in domo non fuerit et si criminale nephas exortum fuerit, cives statuunt unum iudicem pro crimine manifesto. Item scultetus etiam debet habere legalitatem a domino terre et cum eo debet esse feodatus et verum suum feodum esse debet. Insuper liber esse debet et legitime natus de terra.

^a na marginesie ręką autora podstawy, znak wstawienia; ^b na marginesie ręką autora podstawy; kolejny artykuł został opatrzony numeracją Capitulum octavum, być może zatem pisarz już po wpisaniu niniejszego artykułu próbował go podzielić na dwa

[hasła: sołtys, termin, dzień świąteczny, sługa, wymóg, lenno]

[7] De clamore in vulneribus et in monomachalibus vulneribus. Capitulum octavum^a

Quod si homo vulneratus fuerit et si clamorem proclamaverit et si ceperit hunc, qui ipsum vulneravit, et eum ad iudicium usque deduxerit, et si tunc ipsum cum h[i]is, qui clamorem suum audierunt, protestare potuerit metseptimus, propius est eum vincere, quam ille possit eum evadere. Pro vulnere manum, pro homicidio collum. Si vulnus profunditatem habet [s. 27] unius unguis ad longitudinem membri habuerit, acquirit homo duellum pro uno vulnere, <Capitulum IX^b> et si victor fuerit, victus a victo pro vulnere manum, pro homicidio collum.

^a powyżej ponownie nadpisane Capitulum octavum czerwonym inkaustem; ^b por przypis b do art. [6]

[hasła: zranienie, skarga, samosiód, przysięga, współprzysiężnik, bliższosc do dowodu, kara ucięcia ręki, kara śmierci, ścięcie, rana]

[8] De conflictu, qui sit in die aut tempestate noctis. Capitulum decimum

Si contingit criminale nephas aut conflictus nocte vel die et si probus homo pro eo accusetur, propius est evadere metseptimus, quam ille possit super eum protestare, quia in isto loco conflictus per neminem visus est.

[hasła: przestępstwo nocne, samosiód, przysięga, współprzysiężnik, bliższosc do dowodu]

[9] De diffinicionibus sentenciarum quid sit iuris de debitis. C[apitulum] XI

Nec sculteto nec castellano tenetur scabinus nec civis aliquam sententiam extra veros dies iudiciales diffinire, nisi sit factum manifestum ut vulnera mortalia aut homicidia vel furta seu alia criminalia. <Capitulum XII^a> Castellanus et scultetus bene possunt omni die iudicare pro debito absque testimonio agitur, nisi si civis agit contra hospitem et hospes contra civem pro debito cum testimonio, de quo alter alteri fassus

est, quod bene potest iudicari sine mora. <Capitulum XIII^a> Et si uni adiudicatur debitum, quod habet solvere sequenti die, quod tenetur. Sed hospitem oportet iuramento protestare, quod sit alienigena et ita remote domicilium habeat, quod una die ad iudicium venire non possit.

^a Por przypis a do art. [6]

[hasła: sołtys, kasztelan, wyrok, rana śmiertelna, zranienie, zabójstwo, kradzież, gość, dług, sąd gościnnie, mieszczanin, sąd]

[10] De querimonia, quam pernoctaverint [s] pro vulneribus. Capitulum XIII

Quod si vir vulneratus fuerit et eadem die non quesierit iudicium et suam querimoniam pernoctaverit et qui inculpatur evadit eum metseptimus quam ille super eum possit protestari. Si tribus iudiciis non comparuerit quarto iudicio describitur. Ita tamen si iusto modo citatus et super eum conquestus fuerit.

[hasła: zranienie, skarga, zwłoka, uwolnienie od skargi, samosiódm, przysięga, współprzysiężnik, sąd]

[11] De stupro et insidiis et irruenciis domiciliorum. Capitulum decimum quintum

Stuprum et obsidium et irruenciam domiciliorum burgrabi iudicet et alter ullus. Sed si aliquis irruit super alterius domicilium tempore nocturno aut diurno temeraria violencia nulla procedente querimonia, et si in manuali facto deprehensus fuerit cum clamore. Et si clamorem cum auditoribus metseptimus suorum vicinorum hoc ostendendo probare poterit secundum iuris exigenciam malefactor collum demeretur. Sin autem factum manifestum non fuerit, extunc propius est evadere metseptimus quam aliquo testimonio vinci possit.

[hasła: gwałt, napad na dom, zasadzka, burgrabia, skarga, gorący uczynek, samosiódm, przysięga, współprzysiężnik, bliższość do dowodu]

[12] [s. 28] De homine qui multis vulneribus fuerit vulneratus. Capitulum decimum sextum

Quicumque vulneratus fuerit, si clamorem proclamaverit et^a ad iudicium pervenerit, de quocumque querulatur, qui presens fuerit, et si habuerit hos, qui clamorem audierunt, et quot vulnera habuerit, tot homines potest inculpate. Sin autem omnes hii comparuerint, duellum in ipsis acquirere potest. Sin autem plures iudicialiter infestaverit, quam vulnera habuerit, alii homines evadent suo iure, quivis metseptimus.

^a nadpisane

[hasła: zranienie, skarga, rana, uwolnienie od skargi, samosiódm, przysięga, współprzysiężnik]

[13] De obligatione pignorum. Capitulum decimum septimum

Obligat aliquis mercimonia aut alia bona mobilia pro debito ex parte iudicii, et ille pronunciet tribus iudiciis, ut est iuris, in quarto iudicio super eo dominium receperit et appropriatum sibi fuerit, et cognoscencie domini dederit coram iudice et scabinis. Et si iste in posterum ad repetendum sua bona pervenerit, possidens proprius est suum pingnus servare cum scabinis ac iudice, quam ille, qui caret possessione.

[hasła: zastaw, towary, dobra ruchome, ruchomości, dług, termin, roczek, sędzia, ławnik]

[14] De iure feminarum et dotalicio et suppellectili. C[apitulum] XVIII

Si aliquis ducit uxorem et si vir de hac luce decesserit, uxor nichil habet in suis bonis, nisi quod sibi dederit pro dotalicio aut vite provisionem pro sua vita in iudicio banito. Nulla mulier potest vite provisionem, nec dotalicium hereditarie observare. Et cum de hac luce decedit, ad heredes revertitur sui mariti. Et si maritus nichil mulieri dederit in suis bonis, in possessione sui mariti debet permanere, et pueri sibi necessaria ministrabunt, quousque in viduitate sine marito permanere voluerit. Si vir oves habuerit, quas mulier recipiet ad supellectile. Et si pueri vellent infringere dotalitium, servare potest testimonio virorum ac mulierum metseptima, qui tunc presentes fuerunt. Si vir pueros habuerit, aut mulier, quicumque ex his exhereditati fuerint, si vir moritur hii pueri qui in hereditate sunt patris recipiunt bona et non hii qui exhereditati sunt, sed hereditatem vendere non possunt absque coheredum consensu. Hii pueri qui in potestate patris tempore mortis fuerunt, si ex his unus moritur, istius partem dividunt inter se equaliter, tam exhereditati, quam domestici.

[hasła: żona, mąż, wdowa, wiano, sąd wyłożony, uposażenie, gerada, dziecko, współprzysiężnik, samosiódm, przysięga, wydzielony, dziedzictwo, spadek]

[15] De publicatione seu fiscacione possessione. Capitulum XIX

Quando alicui sua possessio publicata fuerit iuste ac [s. 29] iudicialiter, quociens exit vel intrat, tociens penam iudici demeretur, ita si publicacio super ipsum rite ac iuste sit acquisita.

[hasła: malkta, kara sądowa, konfiskata]

[16] De pacis firmitate et de dono infra annum possesso. Capitulum vicessimum

Quidquid masculus dat sub banno, si possidebit pacifice et quiete absque arestacione aliqua anno et die, hoc propius et melius obtinere potest cum iudice et scabinis, quam ab ipsis aliquis possit exbrigare. Quod si iudex et scabini mortui fuerint, quod tamen cum aliis fidedignis ad minus duobus scabinis et quatuor viris probitate probatis testimonio [probet], et sic bona sibi donata sibi obtinebit.

[hasła: transakcja, rok i dzień, termin, spokojne posiadanie, sędzia, ławnik, świadek, współprzysiężnik]

[17] De dono in infirmitate donato. C[apitulum] XXI

Nemo masculus, nec ulla mulier possunt in lecto egritudinis de suis bonis alicui ultra tres solidos dare absque heredum consensu seu voluntate etc.

[hasła: darowizna *mortis causa*, zgoda, żona, mąż]

[18] De hereditate ubi nec fratres nec sorores reperiuntur. Capitulum XXII

Quod si hereditas in fratribus et sororibus defectum habuerit, extunc omnes, qui se linea equali consanguineitatis ostendere potuerint, in hereditate succedunt equaliter. Qui autem in possessione est, si bene sacerdos est aut manserit, tamen supplectilia recipit, si nulla puella fuerit. Si autem puella et sacerdos fuerint, tunc supplectilia inter se dividunt.

[hasła: dziedzictwo, spadek, siostra, brat, pokrewieństwo, gerada, kapłan]

[19] De firmacione pacis pro hereditate. C[apitulum] XXIII

Quidquid masculus dat in iudicio bannito coram iudice et scabinis, ibi recipiens dat unum solidum pro doni cognitione, quem recipiunt scabini.

[hasła: sąd wyłożony, sędzia, ławnik, pamiętne, darowizna, transakcja]

[20] De debito iure aquisito. [Capitulum] XXIII

Quicumque coram iudicio aliquem pro debito impulsaverit, si debitum tecto [s] iure consecutus fuerit, oportet eodem die solvere et iudex in eo suam penam acquisivit. Si autem querimonia facta fuerit super aliquem pro debito, de quo fatetur, solvere tenetur infra duas ebdomadas, et si debito vel statuto modo [?] non solverit, extunc iudex in eo penam acquisivit. Extunc solvere mandat ad octo dies, deinde ad tres dies, deinde die sequenti. Quociens tunc mandatum debitor adimplere neglexerit, tociens penam suam iudex in eo acquisivit, nisi iure se excusaverit. Sin autem iudici et debitum creditori solvere contempserit, extunc fiscatur sua possessione. Per hoc

compellitur, quod debitum creditori et penam iudici persolvatur. Si autem possessione caruerit, extunc banno compellitur, extunc bene potest comprehendere, ubi visus fuerit pro debito et pena. Et quicumque ipsum ultra hoc tenuerit penam iudici demeretur.

[hasła: dług, skarga, świadczenie, termin, dłużnik, sędzia, mulkta, kara sądowa, wierzyciel, posiadanie, kara]

[21] [s. 30] De impedimento ad limina sanctorum extra provinciam. Capitulum XXV etc.

Si aliquis ad limina sanctorum aut ad nundinas extra provinciam aut extra terminos ire voluerit, et si aliquis ipsum pro debito ipsum impedire voluerit, hoc fieri non debet, oportet ius suum coram suo iudice recipere. Et si uni testimoni adiudicatum fuerit, inducias trinas in duas ebdomadas obtinebit, quicumque eligerit aut iudicio proximo.

[hasła: podróż, dług, sąd, termin]

[22] De pena illius, qui scabinum in sede iudiciali verbis obruit. Capitulum vicessi[anu]m sextum

Quicumque scabinum in sede iudiciali inproperaverit aut turpibus verbis obruerit, scabinus lucratur suam emendam triginta solidos, et iudex suam penam acquirit. Obruitur autem scabinus, postquam sua sententia diffinita sit et consensus aliorum scabinorum preterierit, extunc omnes emendas acquirunt et iudex penas, et quot emende fuerint, totidem pene iudicii acquiruntur.

[hasła: ławnik, ława, obraza, kara sądowa, mulkta, nawiązka, wyrok]

[23] De concordia et rancore, coram iudicio facta aut sine iudicio. Capitulum XXVII

Quando concordia inter discordantes coram iudicio fuerit ordinata, diuturnus fremitus, homo protestare potest cum iudice et scabinis. Quod si scabini mortui fuerint, tunc protestatur cum hominibus fidedignis, qui iudicio affuerint. Quicquid scabini protestantur aut confirmant, hoc iudex cum ipsis debet protestare, simul et confirmare. Sed ubicumque concordia ordinata fuerit extra iudicum, hoc facilius potest probare vir cum sex testibus solus septimus, qui interfuerunt et viderunt concordiam esse factam. Ubi concordia et vera fremitus diuturna coram iudicio confirmata fuerit, si ipsam violat adversa pars, et si vincetur, ut ius dictaverit, cum iudice et scabinis, pro vulnere manum, pro homicidio collum. Sin autem contingerit, quod alter eam infringere, hunc tamen emendare cum recompensa oportet, pro vulnere novem talenta, pro homicidio decem et octo talenta, nisi se excusaret secundum iuris edictum.

[hasła: ugoda, sąd, sędzia, ławnik, samosiódm, przysięga, współprzysiężnik, kara ucięcia ręki, kara śmierci, nawiązka, zapłata, wynagrodzenie]

[24] De exempcione filii per patrem iudicialiter. Capitulum XXVIII

Quot vir quivis filium suum ter potest eximere, quem habet in potestate, coram iudicio pro quolibet crimine capitali tacto sacramento metseptimus secundum ius municipale. Et vir potest filium suum, quem in potestate habet, tribus iudiciis eximere, ubi aut collum aut ad manum transit. Quarta vero [s. 31] vice ipsum solum propria in persona respondere oportebit, et puerem in suo iure non impediet, si filius prius bene respondisset. Sin autem pater cum filio simul in eodem crimine coram iudicio impulsati fuerint, extunc pater filium eximere non potest, nisi prius se ab eodem crimine expurgabit.

[hasła: syn, ojciec, zastępstwo, przysięga, samosiódm, współprzysiężnik, kara śmierci, kara ucięcia ręki, przestępstwo, sąd]

[25] Capitulum de eodem

Famulus potest mercedem suam, quam promeruit, quinque solidos probare et obtinere tacto sacramento, ita tamen, si dominus noluerit consentire. Si autem dominus voluerit probare mettercius, quod sibi persolvit, tunc propius est evadere, quam famulus possit protestare aut obtinere. Sin autem famulus suam mercedem super suum dominum obtinuerit coram iudicio, pro eo dominus iudici nullam penam demeretur, sed dominus famulo eandem mercedem eadem die solvere tenetur indilate.

[hasła: sługa, pan, samotrzcę]

[26] Capitulum de eodem

Si alter alterum pro vino aut alio potu inculpare voluerit, evadet ut aliud debitum, in quo nullum dampnum ostendere poterit aut protestare.

[hasła: uwolnienie od skargi, samotrzcę]

[27] De hereditate aut dono, que datur viro aut femine coram iudicio. Capitulum XXIX

Donum, quod viro vel mulieri datum fuerit in iudicio bannito, in eo mulier cum sua parte sive dono pro suo arbitrio facere potest absque omni contradiccione quicquid placet. Item potest facere vir cum parte sui doni, quicquid deliberaverit modo simili, quam ipse suscepit. Si moritur femina absque herede, ita quod mulier heredem a suo viro pepererit, ipsa heredeat sua successoria, seu sua prospera fortuna acquisita super

suum proximum naturalem successorem, sive sit masculus sive femina, qui sibi sit paris condicionis. Insuper omne aurum et argentum non informatum, et omnis siligo et carnes cum cervisia et vino, et potu[s], que vel quod aut quantum post tricessi[nu]m permansit, vel permanserunt, totum cedit heredibus viri et non mulieris, exceptis pulmentariis, de quibus mulier mediam recipiet partem et heredes viri reliquam mediam tollunt partem.

[hasła: darowizna, wiano, uposażenie, żona, sąd wyłożony, sprzeciw, dziedzic, mąż, dobra nabyte, spadkobierca, równy stanem, srebro, złoto, gerada]

[28] De hiis, que pertinent ad hereditatem. XXX C[apitulum]

Ista sunt, que ad hereditatem spectant: omne aurum et argentum informatum, omnia vasa argentea, et tela, que non est incisa aut formata ad muliebria vestimenta, aut sartagines, que a loco non moventur, et dolea, et vasa distillatoria, et omnia caldaria, excepto caldari, in quo liquescit cera, quod spectat ad suppellectile. Omne proprium, quod locando possessum est, et omnia arma et omnes gladii, et eciam omnes olle eree et morsee, et cinguli, bractiles, et arnulle [s] viri, hec predicta spectant ad hereditatem. Mense, lavatoria, omnes ciste cum planis cooperimentis, et sedilia spectant [s. 32] ad hereditatem, et pelves cupree, et ciste farine, et ciste annorum annonarum, et porci, qui in curiis sive in domibus nutritur, eciam spectant ad hereditatem. Et omnes porci inpinguati spectant ad pulmentaria. Ubi pulmentaria dantur et omnis expensa domestica, que in potestate viri est tempore mortis, et omnes vacue, cuppe, pulmentaria recipit mariti uxor, et non sua cognata proxima.

[hasła: dziedzictwo, spadek, gerada, część obowiązkowa, okrasa, srebro, złoto]

[29] De viro qui alterum vulnerat vitam suam defendendo et solus fuerit vulneratus. C[apitulum] XXXI

Vulnerat quis alterum vitam suam defendendo supra viam publicam, quod ille ipsum percuttit aut vulnerat, et si clamore proclamaverit, et invasor comparet violenter, seu proterve, et conqueritur iudici et scabinis ostendat sua vulnera, et protestatur per hos, qui suum clamorem audierunt, quod initium [sui^a] contencionis sui adversarii fuit et non suum, et quod ipse se defenderit in defensione sue vite, ipse acquirit querimoniam primam. Sed si pernoctabit, extunc hoc fieri non potest.

^a skreślone

[hasła: zranienie, zwłoka, obrona konieczna, droga publiczna, sędzia, skarga, uszkodzenie ciała, ławnik, świadek, obwołanie]

[30] De duobus, qui de stirpe Sclavonica mutuo vulneraverint. C[apitulum] XXXII

Quod si duo se vulnerant mutuo in iure municipali, qui ambo processerunt de stirpe Sclavonica et tamen Sclavi non sunt, compareat unus et conqueratur in Sclavonico ydiomate, alterum non oportet sibi respondere, si placet, nisi conqueratur in eo ydiomate, quod sibi innatum est per ius municipale.

[hasła: zranienie wzajemne, język słowiański, skarga, odpowiedź na skargę, prawo miejskie]

[31] De causa, que promittitur coram iudicio. C[apitulum] XXXIII

Quod si duorum virorum querimonie delate fuerint in iudicio bannito coram iudice, de voluntate iudicis et consensu, parcium arbitrorum utracumque, quod inter ipsos concordia extra iudicium debeat terminari, nec ultra unquam causam peragendam, et si se arbitri ad hoc electi de causa intromittant concordandi, absque iudicio querimoniam a modo non repetendo cum consensu iudicis. Et si ex eis suam querimoniam inposterum vellet renovare pro hac causa coram iudicio, iste sibi suus adversarius respondere non tenebitur coram iudicio, nisi protestare potuerit cum iudice et scabinis, quod causa absque iudicio debeat terminari.

[hasła: skarga, sąd, ugoda, zgoda sądu, sędzia, ławnik]

[32] De duobus, qui se mutuo vulnerant. C[apitulum] XXXIII

Quod si duo mutuo se vulnerant et unus vadit ad iudicem in domum suam, et querimoniam faciet, alter veniat ad quatuor bancos et conqueratur cum clamore, et scabinis et iudicio atestantibus, et vulnera ostendat, et mittat pro iudice et conqueratur, ipse primam querimoniam obtinebit, si testes super hoc habuerit a scabinis seu astantibus iudicio, quod inter quatuor bancos querimoniam fecerit.

[hasła: zranienie wzajemne, sędzia, ławnik, rana, skarga]

[33] De duobus, qui se mutuo vulnerant equaliter et equaliter querulantur. [Capitulum] XXXV

[s. 33] Et si se^a duo mutuo vulnerant equaliter et querulantur equaliter, quicumque ex eis in alterum duellum adquisierit, tunc eius adversarius manum demeretur. Ita tamen, si vulnus monomachale fuerit. Et si alter ex eis, antequam duellum acquisitum fuerit, moritur, adversarius collum demeretur.

^a *nadpisane ręką autora podstawy*

[hasła: zranienie wzajemne, pojedynek sądowy, kara ucięcia ręki, rana godna pojedynku, kara śmierci]

[34] De viro, qui alterum vulnerat, et si ad iudicium deductus fuerit in facto manifesto.
Capitulum XXXVI

Si aliquis detinet hunc, qui ipsum vulneravit in facto recenti et ipsum cum clamore ad iudicium deducit, qui sic queruletur cum prolocutore: „Domine iudex, ego cum querela propono super istum virum, quod ipse venit intra municipalia vel in strata regia, in me pacem violavit, et me spoliavit in meo corpore et in bonis meis, et me vulneravit, dum pacem in me confregit. Tunc ego vidi ipsum in propria persona et proclamavi super eum cum clamore, et ipsum captivum huc ad iudicium deduxi, et volo eum vincere per hos, qui meum clamorem audierunt, et cum meo testimonio vero, ut ius michi diffinierit. Et in sententia requiro, quomodo hoc probare debeam, ita ut michi proficiat in iure meo”. Extunc satisfacionem adversarius rectam petat pro hac querimonia, et dicat se de facto innocentem. Ille, qui ipsum captivum in manifesto facto detinuit, facilius eum vincere potest cum testimonio, quam ipse captivus cum testimonio evadere possit. Si, ut iuris est, probaverit testimonio, ille solvat collum, si est homicidium, vel ad manum, si vulnus est monomochale, cum ad iudicium ipsum cum manifesto facto deduxerit. Pro teste quivis vir potest alteri astare, qui in suo iure non potest argui, excepto patre aut fratre, et filio et mercenario.

[hasła: zranienie, skarga, gorący uczynek, pełnomocnik, droga królewska, sąd, gwar, zabezpieczenie, niewinność, zabójstwo, kara śmierci, kara ucięcia ręki, rana godna pojedynku, świadek, ojciec, syn, brat, najemnik]

[35] De duobus, qui se mutuo vulnerant unus cutello et alter gladio. C[apitulum] XXXVII

Quod si se duo mutuo vulneraverint: unus cutello et alter gladio, et si vulnera utriusque monomachalia utriusque fuerint, illi cum gladio solvit manum, illi cum cutello solvit collum, quia cutellus infert mortem furtivam.

[hasła: zranienie wzajemne, nóż, miecz, rana godna pojedynku, kara ucięcia ręki, kara śmierci]

[36] Pernoctaverint eodem die non fit querimonia. Capitulum XXXVIII

Eciam si alter alterum vulneraverit et causa sua pernoctaverit similiter debet indicari ad iudicium proximum. Et si vulneratus fuerit et vulnus non fuerit monomochale, et si comparuerit et conquestus fuerit, si indicari debet ad iudicium proximum. Si autem vulnus monomachale fuerit, tunc continue sibi iudicium iudex debet formari pro facto manifesto, si exigerit.

[hasła: zranienie, skarga, zwłoka, rana godna pojedynku, sąd, sędzia]

[37] De duobus qui se vulnerant et ambo coram iudicio comparent. Capitulum XXXIX

Quod si duo se vulneraverint et ambo coram iudicio comparent et querimonias proponunt, qui primam querimoniam precellentem protestari poterit, aput suum adversarium duellum acquirit et si ipsum iusto modo salutaverit, eciam si vulnus fuerit monomachale. Sin autem ad diem duellum dilatatum fuerit, et si alter pugillem convenerit super alterum, [s. 34] et si ille protestari poterit, quod pugil sit mercenarius, extunc iure a duello cedere potest.

[hasła: zranienie wzajemne, sąd, skarga, pojedynek sądowy, rana godna pojedynku, odroczenie, pięściarz, zastępca, najemnik]

[38] De viro, qui alterum vulnerat^a et ipsis pax indicta fuerit. Capitulum XXXX

Si vulnerat vir alterum, et si caucionem fideiussorie non fecerit usque ad iudicium, et si iudex ipsis pacem indixerit, et ipsum postea occiderit, et si fideiussores posuerit pro causa eadem, ipse tamen propius est evadere metseptimus^b de homicidio, quam ipsum aliquis potestari possit. Si autem coram iudicio comparuerit, et si in iudicio bannito manu pax promissa fuerit coram iudice et scabinis [s] pro primo vulnere, si ipsum postea occiderit, hoc melius potest super ipsum protestare, quam ille evadere possit.

^a pierwotnie vulnerant, skreślone n; ^b metVII

[hasła: zranienie, poręczenie, sąd wyłożony, sędzia, pokój, uwolnienie od skargi, samosiódm, przysięga, współprzysiężnik, zabójstwo, ławnik]

[39] De duobus, qui se mutuo vulnerant et ambo querulant, et querimonia usque ad iudicium fuerit. XXXXI Capitulum

Si se duo mutuo vulneraverint et ambo coram iudicio comparent et querulose proponant, et querimonia usque ad iudicium dilata fuerit, qui primo querulatus fuerit, moriatur ab his vulneribus, mortuus ad iudicium portetur, et alter eciam vulneratus comparet, et unus, de mortui, agnatus loquatur super vulneratum cum testimonio, quod ipse suum affinem occiderit, et pro eo petat iudicium. Extunc ille petat satisdacionem de iure et ostendat suam innocenciam cum suo testimonio evadendo homicidium. Si hoc, iuris est, protestaverit, propius est evadere, quam ille super eum possit protestare, quia ambo coram iudicio querimoniam inceperunt. Sed suum testimonium sic debet procedure, quod initium contencionis illius fuerit, et non suum. Et si suos testes incontinenti habere non poterit, terminum sex ebdomadas acquirit, tunc facilius potest evadere homicidium metseptimus^a, quam ille cum testimonio ipsum vincere possit. Sin autem ille ipsum monomachaliter alloquitur, extunc ipsum suo collo pugnare oportebitur.

^a metVII

[hasła: zranienie wzajemne, sąd, skarga, odroczenie, krewny po mieczu, poręczenie, gwar, zabezpieczenie, termin, bliższość do dowodu, niewinność, zabójstwo, uwolnienie od skargi, pojedynek sądowy]

[40] De equo, qui in equo promitti teneri debeat, cum venditur. Capitulum XXXXII
<Capitulum>

Si mas equum vendiderit, promittere debet in eo equo, quod stabilis non fuerit, ita quod a loco discedere tempore se offerente noluerit, et videre utrum apparens sit autem cecus, et eciam a iusta arestacione.

[hasła: sprzedaż, koń, ewikcja, odpowiedzialność, wada faktyczna, wada prawna]

[41] De fure, qui in die tres solidos aut nocte sex denarios. Capitulum XXXVIII

Si fur clara luce diei deprehensus fuerit, qui bone fame sit, et furtum minus quam tres solidos valeat, cuttem cum crine demeretur. Sed si ultra furtum tres solidos valeat, reus est patibulo. De hiis solidis [s] denariis tres solidi medium fertonem debent ponderare. Sin autem fur tempestate noctis deprehensus fuerit cum sex denariis, reus est patibulo.

[hasła: kradzież w dzień, kradzież w nocy, dobra sława, kara na skórze i włosach, kara śmierci, powieszenie]

[42] [s. 35] De viro, qui super alium conqueritur pro bonis, que sibi dicit esse innata. Capitulum XXXXIII

Conqueritur vir super alterum pro bonis, quod vera sua hereditas sit, et quod ille teneat ad iniuria, et sua vera sit successio a patre suo, vel ab alio agnato suo, aut a suo predecessore, et si ille comparet super quem querela proposita fuerit, et dicit se habere bonorum defensorem, et bona possiderit pacifice et quiete, anno et die, contradiccione qualibet non obstante et est iuste ac rite meum predium censuale, ipsum oportet suum defensorem nominare, et ad dies statuere, si potest, et cum defendente seu defensore conservat sua bona in eo, si defensio fuerit, ut iuris est, a defensore. Sin autem sibi defectus fuerit in defensore, actor conservat suam legalem proprietatem, in bonis eiusdem, quia quivis homo suam innatam hereditatem, sive naturalem porcionem, facilius quam alter emptam hereditatem, vel obligatam hereditatem, aut datam proprietatem, aut predium censuale, cum impossibile sit aliquem de naturali porcione defraudari.

[hasła: skarga, nieruchomości, dziedzictwo, spadek, ojciec, krewny po mieczu, spadkodawca, spokojne posiadanie, świadek, rok i jeden dzień, termin, prawo naturalne]

[43] De hereditariis censualibus a claustro aut alio domino. Capitulum XXXXV

Si homo habuerit hereditaria censualia et alia bona a quodam monasterio, aut alio domino, et dominus aut abbas sibi non fatetur, aut conventus, hic vir potest hoc metseptimus^a protestare suorum coheredum, quilibet iurabit singulariter, quod iustum ac successorium suum sit predium censuale. Et si dominus seu abbas his septem de ipsorum bonis denegaverit aut fateri noluerit, extunc quivis ipsorum metseptimus suorum coherendum sua bona obtinebit.

^a metVII

[hasła: dziedzictwo, własność, dobra czynszowe, klasztor, pan feudalny, opat, samosiódm, przysięga, współprzysiężnik]

[44] De testimonio persolutis debitis aut proprio metseptimum^a. Capitulum XLV

Si vir debet producere testimonium super proprium alterius metseptimus, aut mettercius, hoc facere oportet cum possessis hominibus, qui in suo iure argui non possunt, et qui iudicio astare solent, et domicilia habentibus in iudicio supradicto. Sin autem debet vir persoluta debita protestare super proprietatem alterius, hoc iterum esse debent possessi homines domicilia habentes, si hoc in iudicio non viderunt, nec in iudicio fuerit confirmatum.

^a metVII

[hasła: własność, samosiódm, przysięga, samotrzeć, posesjonaci, współprzysiężnik, domicyl, okręg sądowy, dług zapłacony]

[45] De testimionio pro debito persoluto. C[apitulum] XLVI

Si aliquis persoluta debita debet protestare, protestando pro debito, hoc facere debet cum talibus hominibus, qui in suo iure argui non possunt.

[hasła: dług zapłacony, współprzysiężnik, przysięga]

[46] De viro habenti filium, et [qui] viduam ducit habentem pueros. Capitulum XLVII

Si vir ducit viduam, que unum filium habet aut plures pueros habuerit et ipse nulla bona habuit nec ipsa, [s. 36] et vir unum filium habuerit cum sua prima uxore, et si fortuna arridente per suos labores bona habuerint et proprietatem seu hereditatem emerint, aut super bona mobilia seu mercimonia posuerint, et inposterum vir morietur et uxor, extunc filius viri propius est recipere hereditatem, quam pueri femine,

aut pueri sororis sue, eciam nepotis seu nepte ex filia sua. Ita tamen, si filius patri sit paris condicionis. Proxima cognata recipit suppellectilia de iure.

[hasła: wdowa, syn, dobra, własność, dziedzictwo, ruchomość, towar, żona, spadek, zasady dziedziczenia, reguła, siostra, wnuk, wnuczka, równy stanem, krewna, gerada]

[47] De viro, qui bona sua in iudicio bannito uxori sue aut pueris suis dederit. Capitulum XLVIII

Si vir aliquis dederit pueris suis aliqua bona sua, et sue uxori, in iudicio bannito circa vitam suam, et bone rationis, et si sibi pueri paris condicionis fuerint, et si {fuit} desuper vera pax firmata fuerit, et inposterum alteri in eiusdem bonis aliquid dederit aut heres fuerit, aut ille, cui prima donacio sit data, bene contradicere potest de iure. Ita tamen, si testimonium desuper iudicis habuerit et scabinorum, quod si primum donum donatum absque contradiccione illius, qui ad hoc successor fuerit infra annum et diem. Extunc contradicere non potest, si illi testes desuper habuerint.

[hasła: dobra, transakcja, sąd wyłożony, dożywocie, równy stanem, pokój, roszczenie, sędzia, ławnik, darowizna, sprzeciw, spadkobierca, rok i dzień, prawo]

[48] De hereditariis censualibus bonis et edificiis super censualia bona donata uxore coram iudicio. Capitulum XLIX

Si vir sue uxori edificia dederit, que super censualia bona fuerint edificata, coram domino proprietatis, et coram suis vicinis, tempore vite sue, et inducit eam in possessionem, et si discedit ab hac luce sine prole, si heres suus super bona eadem loqui voluerit post mortem viri, nichil in eis poterit obtinere, si mulier protestaverit, quod sibi datum fuerit. Sin autem apparatus et edificia viri proprium fuerit, extunc heres mulieri infringere potest, nisi donacio in iudicio bannito fuerit confirmata. Quia nullus suum proprium dare potest, nisi in iudicio bannito, vel coram iudice et scabinis, nisi suus heres contradicat. Sin autem hereditaria censualia bona fuerint, extunc sue uxori dare non potest absque heredum consensu, vel absque domini proprietatis consensu, in cuius bonis sunt. Si vir mercimonia aut bona mobilia habuerit, quod cum bonis emerit eiusdem successoris paterna successione, hoc sue uxori dare non poterit, nisi in iudicio bannito coram iudice et scabinis. Sin autem vir habuerit bona mobilia aut mercimonia, que sibi propriis laboribus aut prospera fortuna accreuerunt, que potest dare in valitudine vite sue cuicunque placet, cuilibet sine contradiccione.

[hasła: mąż, żona, budynek, dobra czynszowe, własność, krewny, dożywocie, spadkobierca, dziedzic, potomstwo, sąd wyłożony, transakcja, sędzia, ławnik, sprzeciw, dobra dziedziczne, zgoda, zezwolenie, towar, ruchomość]

[49] De iure liberti [s] in emendis sine obnoxii et in successionibus in bonis naturalibus. C[apitulum] L

Ubi alicuius monasterii obnoxius suam penam demeretur, hoc sunt triginta solidi, obnoxius tamen bene potest bona sua resignare et iterum suscipere et dare cui placet, contradiccione qualibet non obstante, quod [s] propriis laboribus acquisivit. [s. 37] Ubi obnoxius suo domino censum subtraxerit, pro eo tria talenta demeretur. Quicquid obnoxius criminalis cause comiserit, pro eo nullius querit iudicium nisi sui domini advocati. Quando obnoxius moritur, extunc suo domino aut suo advocato oportet dare denarios obnoxietarum [s] et meliorem equum, quem habet. Idem oportet facere sacerdotem suo archipresbitero, dum moritur tunc sibi oportet dare suum meliorem equum.

[hasła: mnich, zakonnik, klasztor, sprzeciw, przestępstwo, sąd, wójt, arcybiskup, koń]

[50] De viro, qui absque herede moritur habente nepote ex filia. Capitulum LI

Si moritur vir absque herede et nepotem ex filia habuerit, que exhereditata fuerit circa suam vitam, idem nepos maiori iure recipit bona avi materni, quam iudicium, sibi esse paris condicionis.

[hasła: dziadek, córka, syn, spadkobierca, spadek, hergewet]

[51] De eo, qui moritur vir et qui pueros habuerit. Capitulum LII

Cum moritur vir, qui pueros habuerit, qui ad annos discrecionis non dum pervenerunt, proximus agnatus ipsorum debet esse tutor, quousque ad annos pubertatis attingerint. Adiutor suus esse debet proximus agnatus suus, quousque ipse ad annos pervenerit discrecionis, et rationem de anno ad annum de bonis pupillorum coram vero ipsorum tutore facere tenetur.

[hasła: ojciec, dziecko, krewny po mieczu, opiekun, lata sprawne, dojrzały, sprawozdanie, rachunek]

[52] De omni querimonia et testimonio. Capitulum LIII

Omnis querimonia et testimonia, que cum criminosis violenciis cum clamore ad iudicium in facto manifesto deprehense et deducte fuerint, virum metseptimus^a protestare debet circa ius pacis, exceptis vulneribus, que monomachales non fuerint. Manifestum factum ibi esse dicitur, ubi vir captivatur cum furto aut cum spolio, deprehensus ducitur ad iudicium cum clamore. Insuper eciam manifestum factum dicitur, ubi viro cutellus aut gladius, aut alia arma in sua manu deprehensa fuerint, cum quibus pacem infregit, aut si in fuga facti deprehensus fuerit, et captivus ad iudicium cum clamore deductus fuerit. Hunc actor metseptimus^a vincere debet

circa ius pacis. Et si factum manifestum cum viro ad iudicium deductum fuerit, stuprum et obsidium et irruencia domicilii, homicidium, furtum, spolium, probat homo protestando metseptimus etc.

^a metVII

[hasła: skarga, przemoc, przestępstwo, sąd, gorący uczynek, samosiódm, przysięga, współprzysiężnik, pokój, rana godna pojedynku, kradzież, obwołanie, miecz, nóż, sztylet, ucieczka, pokój, zasadzka, gwałt]

[53] De eodem ca[pitulum]

Si vir de damnosis violenciis conquiratur, extunc sua querimonia sic debet procedere: “Domine iudex, ego conqueror Deo et vobis, quod iste homo venit intra municipalia, et in me pacem violavit, et me stupravit corpore et rebus et honore muliebri, de quo sufficiens habeo testimonium per eos, qui meum clamorem audierunt, et ostendere volo factum, ut de iure teneor [s] aut habeo, et requiro in sententia diffinitiva, quomodo ipsum vincere debeam, ut michi proficiat in iure meo.” Extunc ille petat satisfacionem, si vult, quam sibi facere oportet, et dicat de facto esse innocentem. Tunc tutor mulieris interrogat in sententia diffinitiva, si mulier violenciam melius [s. 38] protestare poterit cum hiis, qui clamorem suum audierunt, quam ille possit evadere cum ad iudicium sit deductus. Tunc diffinitur iure, quod possit ipsum possibilis vincere cum hiis, qui suum clamorem audierunt, quam evadere possit. Et si hoc protestabitur, ut iuris est, adversarius collum demeretur. Idem vero iudicium super irruenciam domicilii iudicatur.

[hasła: skarga, przemoc, przestępstwo, sąd, obwołanie, honor, gwar, zabezpieczenie, niewinność, uwolnienie od skargi, kara śmierci]

[54] De querimonia. Capitulum LIIII

Hic stat Cunradus et conqueritur super Henricum Deo et vobis, nostro domino, regi aut duci, aut vobis, domine iudex ac toti universitati civitatis, divitibus ac pauperibus, quod ipse inter municipale venit ad locum tale, ubi Cunradus pac[ific]e et quiete perfrui debuerat et sibi obsidium fecit in strata regia, et in regia pace, et in eo municipale infregit ac ipsum vulneravit, destruxit et spoliavit in corpore ac rebus, et in eo talem strepitum perfecit, quem bene probare potest, cum ipse in eo pacem violavit et strepitum in eo comisit, tunc propria in persona vidit ipsum in persona propria et ipsum clamore proclamavit. Si hoc fatetur, sin autem negabit, ipse eum vincere intendit per hos, qui suum clamorem audierunt ac suo testimonio. Et sicut ipsum in facto manifesto deduxit ad iudicium, sic in sententia requirit, quomodo ipsum vincere debeat, ut sibi proficuum sit in suo iure.

[hasła: skarga, król, książę, sędzia, miasto, zasadzka, droga królewska, zranienie, pokój, gorący uczynek, sąd, wyrok, prawo]

[55] De abtestac[i]one manus. [Capitulum] LV

Si unus alteri manum suam abtestare voluerit pro falso, hoc oportet, quod faciat mettercius cum talibus hominibus, qui in suo iure argui non possunt. Sin autem facere debet pro vulnere in manifesto, oportet quod hoc faciat metseptimus, per iusticiam pacis, ita tamen, si manifestum factum cum malefactore ad iudicium deductum fuerit.

[hasła: samotrzeć, kłamstwo, fałszywe zeznanie, rana, gorący uczynek, samosiódm, przysięga, współprzysiężnik, pokój]

[56] De eo, qui vir vulneratus cum clamore ad iudicium deductus fuerit. C[apitulum] LVI

Si vulneratus vir ad iudicium cum clamore decuctus fuerit in facto manifesto, et si ita inbecillis aut debilis fuerit, quod per tutorem ipsum querulari oportet et prolocutorem per sententiam petat^a, extunc tali modo procedat sua querimonia: "Domine iudex, si me huic vulnerato dedistis pro avvocato, extunc in sententia requiro, si per iusticiam insidias per aliquem pati debeam, aut sustinere, cum suam causam propter exigenciam iuris teneo." Extunc sibi diffinitur, quod non. Extunc sibi petat correccionem. Cum obtinuerit coreccionem, tunc petat colloquium pro consilio, et cum colloquium habuerit, tunc requirat, qualiter suam querelam inchoare debeat, et hoc per sententiam diffinitivam, ut sibi proficiat in suo iure. Extunc diffinitur non cum clamore. Tunc interrogat finaliter, si requiri debeat ex ore ad os, a quo suam lesionem habeat. Tunc sibi diffinitur, quod debeat. Extunc emittuntur duo scabini et cum ipsis preco aut duo viri, qui iudicio astare consueverunt, qui ab ipso solo audiant, a quo suam perceperit vel habuerit dampnum, aut quis in eo pacis federa confregit. Extunc requiritur finaliter, si requiri debeat. Si interrogari debeat circa iuramentum prestitum [s. 39] aut ius civitatis, quid ab eo audierunt ad dicendum, quid ab eo audierunt. Audita responsiva, tunc in sententia requiratur, si iam profecerit, tunc sibi diffinitur, quod sic, et eciam secundus et tertius interrogetur. Extunc sibi diffinitur, quod profecerit. Extunc querelam incipiat: "Domine iudex, placeat attente audire." Tunc hic conqueritur super N et super E, quod ipsi venerunt intra municipale, et in eo pacem infregerunt, et ipsum vulneraverunt aut suum affinem proximum trucidaverunt, si homicidium fuerit, et ipsum spoliaverunt corpore et rebus, et pro eo iudicium petit. Extunc illi ter vocantur, quando vocati per clamorem ter fuerint, tunc conqueratur ulterius et nomet malefactores, ut prius querulatum fuerit. Idem faciat tercia vice. Extunc inducie indicantur per noctem. Si tunc non comparant describentur. Sin autem comparent, duellum in eis acquiri potest.

^a w rkp. patet

[hasła: zranienie, sąd, wyrok, skarga, sędzia, sprawiedliwość, posiedzenie, ławnik, szkoda, przysięga, prawo, zabójstwo, kradzież, zranienie, otrucie, noc, pojedynek sądowy]

[57] De eo, qui furem aut spoliatorem protestare voluerit. Capitulum LVII

Quando vir furem aut spoliatorem protestare voluerit, qui cum in facto manifesto ad iudicium cum clamore deductus fuerit, qui conqueritur sic: "Domine iudex, conqueror Deo et vobis super meum furem, quem cum apparenti furtu captivatum et ligatum ad iudicium perduxī, qui venit intra meos quatuor angulos et subtraxit mea bona, super quo habeo bonum testimonium cum hiis, qui meum clamorem audierunt, et ipsum vincere volo iure meo ac vero testimonio, ut hic ius michi dictaverit. Et requiratur, quomodo eum vincere debeam, ut michi proficiat in iure meo." Tunc sibi diffinitur metseptimus^a, si furtum presens fuerit. Idem iudicium fiat pro spolio et super raptorem.

^a metVII

[hasła: kradzież, złodziej, gorący uczynek, sąd, skarga, sędzia, dobra, samosiódni, przysięga, współprzysiężnik]

[58] De eo, ubi vir alterius verbum loqui debeat. Capitulum LVIII

Ubi vir alterius verbum loqui debet, et quod sententiis scabinorum vel iure compellitur in facto manifesto, dicat sic: "Domine iudex me dedistis illi homini prolocutorem, extunc requiro in sententia, si ab alio pro eo inimicicias aut timorem habere debeam, quod verbum suum loquar per iuris exigenciam, quantum melius possum aut valeo." Quando sibi hoc diffinitum fuerit, tunc sibi diffiniat correccionem, quod si ipsum in aliquo neglexerit, quod se corrigere poterit mecum aut per me aut alterum advocatum. Cum sibi hoc diffinitum fuerit, petit colloquium, si vult, et requirat in sententia, quando querelam inchoare debeat, ut sibi proficiat in suo iure. Cum sibi hoc diffinitum fuerit, tunc in sententia interroget, si lesus interrogari debeat, quis in eo pacem infrigerit, et si ita fuerit debilis, quot suum malefactorem nominare non possit. Cum igitur hoc diffinitum fuerit et ipsum iudex aut duo scabini aut duo viri, qui iudicio astare solent, viderunt, requirat in sententia, si ipsi causa iusticie dicere debeant circa iuramentum ipsorum et ius civitatis quod sibi notorium ipsis de facto sit. Cum hoc sibi diffinitur ab uno ad secundum et tertium, extunc requirat in sententia, si iam profecit. Cum sibi hoc diffinitum fuerit et pacis violator citatus per clamorem fuerit, ut iuris est, tunc dicat sic: [s. 40] "Domine iudex, placeat audire verbum suum." Hic N conqueritur super hunc Mathiam, quod ipsum in strata libera infestavit aut intra municipalia in eo pacem infregit, ac ipsum vulneravit et violenciam in eo peregit, quam probando ostendere potest, et ipsum depredavit corpore et rebus, et tantum recepit sibi, quod non minus valeat, nisi duellum bene mereatur. Et super eo iustum a vobis petit iudicium. Extunc pacis violator proclamatur primo et secundo et tercio, per nomen suum, ·N·, et iterum suam querimoniam renovet in hunc modum: "Vobis conqueritur super virum N, quod ipse venit intra municipale in strata regia, in eadem pacem

infringendo”, et ipsum rebus et corpore sanitatis depredavit ac ipsum vulneravit et in eo strepitum fecit, quem apparenter potest demonstrare, et pro eo petit iudicium, et sic tertia vice faciet. Tunc ostendat vulnus et interrogat in sententia diffinitiva, si suum pacis violatorem in aliquo loco invenerit, si ipsum licite arestare possit ex parte iudicii. Cum igitur diffinitum fuerit, tunc petat pacem, que sibi indici debet etc.

[hasła: sędzia, pełnomocnik, wyrok, niepełnosprawny, ławnik, przysięga, prawo, skarga, zranienie, przestępstwo, droga królewska, rana, okazywanie ran, pokój, posiedzenie]

[59] De monomachali incitacione et iure duelli. Capitulum LIX

Qui monomachaliter suum equalem salutare seu alloqui voluerit, hunc iudicem oportebit petere, ut se intromittere possit de uno pacis violatore suo, quem videt in presenti. Cum hoc sibi per sententiam diffinitum fuerit, tunc etiam in sententia requirat, per quem modum se de ipso intromittere debeat, ut sibi in suo iure proficere possit. Tunc sibi diffinitur de iure, curialiter per horam vestimenti. Et cum se de ipso intromittat, pronunciat sibi causam, pro qua se de ipso intromiserit, quod statim facere potest, si vult, aut pro eo habere colloquium. Tunc ipsum inculpare oportebit, quod pacem in eo infregit aut in strata regia, aut in villa, qualiter infregerit, eodem queruletur super eum. Tunc ipsum iterum inculpet, quod ipsum depredavit et eam vim in eo fecerit, quam bene probare poterit. Tunc vulnus aut cicatricem demonstret, si vulnus sanatum fuit. Tunc ulterius conqueratur, quod ipsum spoliavit bonis suis et de ipsis sibi tanta recepit, quod bene duellum meretur. Hec tria criminalia facta omnia simul conquerantur, de quorumque horum trium de uno obliviscitur aut tacuerit, extunc suum duellum ammisit. Tunc loquuntur ulterius: tunc ipsum solum, hoc est in persona propria et ipsum clamore proclamavi. Si fateri noluerit [s], quod diligo, et si non fatebitur, ipsum omni iure vincere volo, ut michi vulgus iudicaverit, aut scabini, si sub banno regio fuerint. Extunc ille petat satisfacionem, quam sibi facere debet. Tamen potest vir suam querimoniam meliorare ante satisfacionem, si voluerit. Facta satisfacione ille exhibeat suam innocenciam, hoc est iuramentum, quod ipsum iurare oportet, et iuramentum monomachale, si ipsum iure incitaverit et si ibi fuerit, quod [s. 41] est perficere si poterint [s] pro inbecillitate sui corporis. Si ille autem, qui nobilioris nature fuerit, ille preesse non potest, qui deterioris nature fuerit, si ipsum alloquitur nobiliorum nature. A duello cedere non potest, qui post meridiem alloquutus fuerit, nisi ante meridiem esset inchoatum, iudex etiam debet habere clipeum et gladium illi, super quem allocutum fuerit. A duello etiam potest excipere suos affines, si uterque suus affinis fuerit et ita consanguineitatis linea coniu[n]cti fuerint, quod simul pugnare non poterint. Iudex etiam duos nuncios habere debet cuilibet hiis, qui pugnare debent, qui videant, ut habeant attinencia secundum veram consuetudinem. Corream et lineum indumentum induere possunt, quantum placet. Caput et pedes antea nudi sint, in manibus cyrotecas habeant, unum gladium nudum in manu et alio cinctus, aut duobus, hoc arbitrio eorum comittitur, et unum clipeum rotundum in manu, ubi non aliud quam lignum aut corream sit, preter manu tectorium, quod potest esse fereum, unam tunicam absque manicis super

preparamenta. Eciā iudex debet indicere pacem circa collum, quod nemo eos impediēt circa duellum. Cuilibet ipsorum iudex presens unum virum habeat, qui falangam facerit [s], qui ipsos in nichilo impedire debet, nisi si unus ceciderit, quod falangam interponat, aut si vulneratus fuerit. Aut si falangam desiderat, hoc idem facere non potest, nisi sit voluntas iudicis. Postquam circulo pax indicata fuit, ambo debent circulum affectare, quem ipsis iudex licenciare debet. Unicos^a [?] ferreos debent affringere, nisi ex iudicis licencia possunt optinui. Ambo armati debent ante iudicem ire: unus, scilicet actor, quod causa sit vera, pro qua super ipsum querelam fecerit, et respondens, quod sit innocens. Sic Deus eos adiuvet et eorum duellum. Sol eciā equaliter eis debet dividi, quando primo conveniunt. Si vincetur ille, super quem conqueritur, tunc iudicetur sententia capitali. Sin autem vincerit, dimittetur cum pena et emenda. Actor primo circulum intrabit. Si alter diu tardaverit, iudex debet ipsum per preconem vocare in illa domo, ubi se preperavit, et duos scabinos cum ipso mittere debet. Sic citari debent primo, secundo et tercio, et si ad terciam citacionem non venerint, tunc querulator surgat et se ad duellum exhibeat. Et statim percuciet duos ictus et semel fingat contra ventum, cum eo ipse suum adversarium devicit tali causa sive querela, pro qua ipsum fuerat allocutus. Et iudex sibi iudicare debet, sicut fuisset duello convictus, sic mortuus debet convi[n]ci, si in furto aut rapina, aut in tali crimine occisus fuerit. Sin autem mortuus cum septem testibus protestari poterit, extunc ad duellum se non indiget exhibere contra ipsum. Sin autem alter agnatus mortui, quicumque fuerit, loco ipsius per duellum se exhibuerit, hic extinguet omne testimonium, quia tunc ipsum absque duello vincere non potest, ut superius est expressum. Si vincetur eciā [s. 42] et ille, qui ad duellum captivus aut salutatus fuerit, aut promittit aut caucionem fideiussorie fecerit comparere et non comparuerit ad iustam responsionem.

^a odczyt niepewny

[hasła: sędzia, pokój, wyrok, prawo, pojedynek sądowy, skarga, droga królewska, oskarżenie, rana, blizna, dobra, sąd królewski, ławnik, gwar, zabezpieczenie, przysięga, niewinność, niepełnosprawność, równy stanem, szlachcic, tarcza, miecz, krewny, zwyczaj, pięściarz, woła, powód, kradzież, świadek, krewny po mieczu, nawiązka, kara sądowa, mulkta, posiedzenie]

[60] De eo, qui alium ad iudicium aut mortuum aut vulneratum duxerit. Capitulum LX

Quicumque occisum seu vulneratum virum captivum ad iudicium duxerit et ipsum pacis violatorem accusaverit, per duellum vel absque duello si non probaverit, ut iuris est, vel secundum iuris exigenciam ipse autem super ipsum, idem iudicium debet iudicari, quod super <illum^a> ipsum procedere debuerat, ac si iudicio <nota^b> esset convictus, et hoc per iusticiam pacis. Si vulneratus vir hunc alloquitur, qui ipsum vulneravit, per duellum et si pre debilitate corporis duellum perficere non possit, et si tutorem non habuerit, qui pro eo pungnare velit, inducie sibi ordinari debent, quousque suum duellum perficere possit etc.

^a nadpisane; ^b na marginesie ręką autora podstawy

[hasła: zabójstwo, zranienie, sąd, pokój, skarga, pojedynek sądowy, prawo, pokój, sprawiedliwość, rana, niepełnosprawność, pojedynek sądowy, opiekun]

[61] De eo, qui vitam aut manum pecuniam redimerit. Capitulum LXI

Qui vitam aut manum pecunia redimerit, quod iure demeruerit, hic suo iure privetur.

[hasła: utrata prawa, pieniądze, wykupienie od kary, kara śmierci, kara ucięcia ręki]

[62] De fideiussoria caucione ad statuendum coram iudicio pro aliquo scelere. Capitulum LXII

Qui etiam fideiusserit unum virum pro scelere ad statuendum ipsum coram iudicio, et ipsum statuere non poterit, recompensam ipsum solvere oportet, et sibi in suo iure non oberit illi, qui fuerat fideiussor, et nemo describi debet, nisi in culpa ad collum sive ad manum sibi procedit.

[hasła: poręczenie, zapłata, wynagrodzenie, prawo, wina, kara śmierci, kara ucięcia ręki]

[63] De suppellectili feminarum et quid ad hoc spectat. C[apitulum] LXIII

Si mulier recipit suppellectilia, ad quam spectant: omnes oves et omnia cibaria domestica, de quibus vir indiget ad unius anni revolutionem, que in sua possessione reperiuntur, ad mulierem pertinet medietas. Cum viro uxor moritur, proxima sua agnata vel cognata recipit suppellectilia, que debet donare suo viro, hec debet viro sic stratum decorare scilicet, ut stetit, cum uxor sua vixit, videlicet cum lectu, cussinis, lintiaminibus cum teqali^a [?], cum culcitra sedem suam, cum cussino et cum pulvinari, suum stratum, staminum, sedem suam cum sedis tectorio, quod singulis diebus de super iacuit, suam mensam cum mensali et manutergio. Hec nulla recipit pulmentaria.

^a odczyt niepewny

[hasła: gerada, mąż, krewna, część obowiązkowa, okrasa]

[64] De armis bellicis et suppellectili feminarum aut sacerdotum seu monachorum. Capitulum LXIII

Mulier pro armis bellicis gladium mortui mariti et suum runcinum vel dextrarium meliorem sellatum et meliora arma, que habuit pro corpore unius viri, cum decessit in sua potencia, deinde debet dare pulvinar bellicale, hoc est lectum et duos cussinos,

[s. 43] et duo linthiamina, et unum mensale, et duas pelves, unum manutergium. Hec sunt universalia arma bellica. Sed tamen aliqui homines diversa apponunt, quod tamen ad ea non pertinet, sed quicquid ex his nominatis mulier non habuerit, ad hoc compelli non potest, si iuramento approbaverit pro qualibet re per se. Sed ubi patenter ostendere poterit, ibi vir nec mulier per iuramentum evadere potest. Ubi duo <nota^a> vel tres viri ad una arma bellica nati fuerint, senior recipit gladium pro se et cetera inter se dividunt equaliter ita tamen, quod senior dividit et iunior eligit.

Et ubi pupilli annos pubertatis nondum attingerint, eorum senior agnatus recipit arma bellica solus, et in eis est tutor puerorum quousque ad annos discrecionis pervenerint, extunc ipsis tenetur reddere et in super ipsorum omnia bona, nisi eis rationem fecerit, quod ea ad eorum usus convertit, aut per spolium, aut furticinium, aut per apparens infortunium, absque sua voluntate ammiserit. Ipse eciam est vidue mundibordius, quousque duxerit maritum, sibi paris condicionis etc.

Post arma bellica mulier vite provisionem recipit et alia omnia, que ad suppellectilia pertinent, hoc sunt: omnes oves et auce, ciste cum elevatis tecturis, et cooperimentis, omnia strata seu lectisternia pulvinaria, cussinos, lintheamina mensalia, pelves, manutergia, lucibula, candelabra, semen lini vel linum, et omnia muliebria vestimenta, anulos et brachilia, crinalia, psalteria et omnes libri, in quibus mulieres legere consueverunt, qui ad Dei servicium pertinent, sedilia, ladule ac scrinia, tapecia, dorsalia, vela tectoria, balneamina et omnia pepla, ac capitis muliebris, ornamenta omnia, hoc est, quod ad suppellectile femine pertinet. Et ad huc diversa sunt clenodia, qui ad suppellectilia pertinent, singulariter sicut sunt seticule, pectines, forpices, specula. Sed tela non incisa, nec aurum, nec argentum informatum seu non textum non pertinet ad mulieres. Sed quicquid extra prenomina in rebus inventum fuerit, pertinet ad heredes. Si aliquid ex hiis obligatum fuerit circa vitam viri, qui est mortuus, exemat, qui vult, ad quem iure pertinet. Sacerdos dividet cum fratre, sed non monachus.

Si puer intraverit religionem infra annos pubertatis, hic bene potest intra annos exire, si vult, et ius obtinebit feudale et terrestre. Si autem vir, qui dum annos pubertatis implevit, religionem intraverit, hic se a iure terrestri et feudali alienavit, et sua feoda vaccant, et scutum bellicum resignavit. Si hoc possit protestari per hos, cum quibus similo visus est vitam suscepisse.

^a dopisane na marginesie, zapewne przez autora podstawy

[hasła: hergewet, gerada, kobieta, miecz, koń, mąż, przysięga, pełnoletność, lata sprawne, pupil, dobra, opiekun, wdowa, równy stanem, klejnot, srebro, złoto, zobowiązanie, kapłan, mnich, transakcja, lenno]

[65] [s. 44] De diffinicionibus sentenciarum. Capitulum LXV

De qua sententia prius requiritur, hec prior diffiniri debet. Ambo hoc est actor et ille, super quem conqueritur, respondens est sive reus, possunt habere colloquia pro qualibet causa tribus vicibus, quousque eos preco revocet.

[hasła: wyrok, skarga, odpowiedź na skargę, pozwany, posiedzenie]

[66] De iudicio et locucione viri. Capitulum LXVI

In omni loco iuris est, ut iudex iudicet aperta voce cum sentenciis. Aperta voce vir non loquatur coram iudicio, postquam proloquutorem habuerit, nisi eum iudex requiesierit [s], si in verbo consenciat sui advocati, bene dicere potest, sit aut non sit, aut desuper petere colloquium.

[hasła: sędzia, wyrok, sąd, pełnomocnik, posiedzenie]

[67] De fideiussoria pro bonis. Capitulum LXVII

Si homo fideiussor pro debito aut pro pecunia fuerit et moritur, si pueri aut sui heredes non tenentur pro eo solvere. Si vir pro pecunia fideiussor fuerit, fideiussorem pecuniam solvere oportet solum, aut probare, quod pecunia sit integraliter persoluta.

[hasła: pieniądze, dług, ojciec, dziecko, dziedzic, zapłata, poręczyciel, poręczenie]

[68] De viro, qui fustibus aut baculis percussus fuerit. Capitulum LXVIII

Si vir cum fustibus aut baculis percussus fuerit supra dorsum aut supra ventrem, aut verbera fusca aut flavea fuerint aut inflata, si desuper iudicem pro teste habere poterit aut homines, qui hoc viderunt et audierunt, ipse eum duellum propius est super eos acquirere, quam ipsi eum evadere possint suo iure. Sin autem super caput aut brachia percussus fuerit, quod aliter ostendere non possit, illi homines melius ostendere possunt, quam ipse super eos probare possit suo iure. Sin autem fatentur, quivis amittit emendam et iudex acquirit suam penam. Sint [s] autem verbera mortalia fuerint, respondere tenentur cum duello, qui pro eo iudicialiter fuerint impulsati. Sin autem mortales non fuerint, respondebit unus cum duello et alii respondebunt absque duello, quia ipsi evadunt suo iuramento.

[hasła: pobicie śmiertelne, świadek, sędzia, pojedynek sądowy, bliższość do dowodu, uwolnienie od skargi, przysięga, nawiązka, kara sądowa, mulkta]

[69] De hereditate, que mortuo domino permanet et sine successore. Capitulum LXIX

Si hereditas mortaliola absque heredibus inventa seu reperta fuerit ita, quod nullus se ad hanc trahet infra annum et diem, hoc inquit cedit regie maiestati, nisi legale impedimentum inpedierit.

[hasła: kaduk, król, spadek]

[70] De viro, qui occisus fuerit et pueros habuerit duos aut plures. Capitulum LXX

Quod si vir, qui pueros duos vel tres habuerit, occisus fuerit, et si vir unus pro eo iudicialiter fuerit impulsatus et evaserit, ut ius dictaverit, et si super eum querimonia et vera satisfactio facta fuerit, nec tenetur, nec debet ab aliis pueris in posterum pro eodem homicidio infestari.

[hasła: ojciec, dziecko, zabójstwo, prawo, uwolnienie od skargi, skarga, zabezpieczenie, gwar]

[71] De viro, qui alteri coram iudicio iurare debuerit. Capitulum LXXI

[s. 45] Si vir alteri {alteri} coram iudicio debet iurare, hic bene potest superponere et deponere absque licentia iudicis, per hoc non amittit.

[hasła: kara, przysięga, sąd]

[72] De arrestacione equorum. Capitulum LXXII

Si quis arestat equum et dicit, quod sibi aliquis subtraxerit aut subtractus fuerit aut eo sit spoliatus, ad hoc se trahere debet, ut iuris est, et tunc ille bene ad suum venditorem se trahere potest et venditorem nominare debet, super quem se traxerit, et iurare debet tacto sacramento, quod ad verum se trahat venditorem. Quemcumque sibi nominaverit, ipsum sequi debet, non autem ipsum sequi debet ultra Mare Aquilonis. Et si sibi defectus fuerit et neminem pro se habuerit respondentem, utpote venditorem habere non poterit, ut se coram iudicio ~~†~~iactavit ^a~~†~~ iacticavit, et tunc sibi fideiussorie faciat cautionem iudici pro pena et pro expensis, quas adversarius suus expendit, et diem nominare, quando debeat ibi pervenire. Sin autem dixerit, quod equum in foro communi vel libero emerit, extunc suam pecuniam, quam pro eodem equo dedit, integraliter amittit, et illi suum equum reddere oportet, et nullam penam pro eo amittit.

^a skreślone przez autora podstawy

[hasła: koń, zastępstwo, kradzież, sprzedaż, ewikcja, przysięga, odpowiedzialność, sąd, poręczenie, pieniądze]

[73] De pena iudicis et hereditate. Capitulum LXXIII

Quando iudex suam penam extorquet, ulterius nec aliquam super hanc penam potest extorquere. Et si bona vir iudicialiter alloquitur, ut iuris est, vel hereditatem, pro eo non indiget iudici dare quicquam, cum ipse sibi iusticiam iuvare teneatur. Si homo <nondum^a> suam querelam {suam} tenere promiserit, etsi per bonum pacis medio

tempore concordatum fuerit, pro eo non plus ammittit, quam iudex acquirit suam penam.

^a *dopisane na marginesie ręką autora podstawy*

[hasła: sędzia, kara sądowa, mulkta, dziedzictwo, prawo, sprawiedliwość, skarga, pokój]

[74] De viro, qui vulneratus fuerit aut percussus fuerit et querulare noluerit. Capitulum LXXIII

Vir, si vulneratus aut trucidatus fuerit et conqueri noluerit, iudex ipsum non potest compellere ad aliquam querimoniam propter et ultra suam voluntatem.

[hasła: zranienie, otrucie, skarga, sędzia, wola]

[75] De bonis illius, qui ad mortem condemnatur. C[apitulum] LXXV

Si vir descriptus fuerit et ad penam mortis iudicatus fuerit, sua bona nemo recipere habet, quam sui veri heredes.

[hasła: kara śmierci, konfiskata dóbr, dziedzic, spadkobierca]

[76] De viro, qui pueros habet et moritur, et bona habuerit nulli donata. Capitulum LXXVI

Quando vir moritur, qui pueros habeat, et si bona nulli donata habuerit, sibi succedunt pueri, si equalis nature sibi fuerunt. Et si ex his pueris unus decesserit, mater sibi [^a] in sua parte succedit. Et mater cum hiis bonis nichil potest facere absque heredum consensu seu voluntate.

^a *na prawym marginesie dłoń z długim palcem wskazującym*

[hasła: ojciec, dziecko, dobra, spadek, równy stanem, matka, wola, zgoda]

[77] De etate puerorum, quando tutores eligere possunt. Capitulum LXXVII

Quando puer duodecim annorum [s. 46] est, tunc potest eligere pro sua voluntate quem voluerit pro tutore. Et qui suus fuerit tutor, matri rationem facere debet et adolescenti, quid cum bonis factum fuerit.

[hasła: dziecko, opiekun, matka, rachunek, sprawozdanie]

[78] De viro, qui suam hereditatem possit probare. Capitulum LXXVIII

Si alloquitur vir aliquem, quod suus sit illiber, si potest suam libertatem protestare et ostendere, propius est evadere, quam ille ipsum vincere possit. Libertatem suam vir probare potest cum tribus cognatis et tribus agnatis, sed metseptimus^a esse debet, sive sint viri sive femine. Et scire debet quilibet legens, ubi scribitur agnatus, designat ex parte patris ex parte gladii. Et ubi scribitur cognatus, ibi <vide^b> ex parte matris desingnatur.

^a metVII; ^b na marginesie ręką autora podstawy

[hasła: wolność, bliższość do dowodu, uwolnienie od skargi, krewny po mieczu, krewny po kądzieli, samosiódm, przysięga, współprzysiężnik, mężczyzna, kobieta]

[79] De pecunia ludo et taxillis aquisita. Capitulum LXXIX

Si servus bona sui domini deluserit taxillis, aut obligat aut vendit, dominus potest arestare de iure, ut se ad ea bona trahat, ut iuris sit. Sin autem sua propria bona deluserit, aut quomodocumque a se alienaverit sua voluntate, dominus super ea nichil alloqui potest, quia servus solvere tenetur, et sic domino pro bonis servi non est licitum respondere.

[hasła: sługa, pan, gra, przegrana, zapłata, skarga, dług]

[80] De pecunia taxillis acquisita. Capitulum LXXX

Si quis conqueritur super aliquem pro pecunia ludo aut taxillis aquisita, pro eo non habet sibi respondere.

Sin autem servo suus equus, vel alia bona sua furtive, aut spoliando recepta fuerint absque culpa servi in domini servicio, hoc oportet dominum solvere servo, et pro eo oportet dominum respondere, si super [eo] queruletur.

[hasła: sługa, pan, pieniądze, odpowiedzialność, koń, kradzież, transakcja]

[81] De bonis, que alicui data sunt ad servandum. Capitulum LXXXI

Quicumque alteri bona sua dederit ad servandum, aut in deposito habuerit, si sibi subtracta fuerint, aut spoliatus eis fuerit, aut combusta, vel si mortuum fuerit, si equus vel peccora fuerint, non debet aliquod dampnum pro eo sustinere, si presumit iurare, quod absque sua culpa amissum fuerit.

[hasła: dobra, depozyt, kradzież, pożar, koń, bydło, szkoda, przysięga, wina]

[82] De rebus concessis seu obligatis. Capitulum LXXXII

Quicquid viro concessum aut obligatum fuerit, hoc in destructum reddere tenetur, aut solvere secundum suum valorem. Sin autem moritur equus vel peccora infra obligationem absque illius culpa, cui obligatum fuerit, si hoc probaverit, et si iuramentum pro eo protestare presumpserit, quod sine sua culpa <sua^a> decesserit, non solvit, sed suam recompensam amittit, in qua sibi fuerat obligatum.

^a *nadpisane*

[hasła: przysięga, zapłata, wynagrodzenie, koń, bydło, wina]

[83] De eo, qui se a descriptione iuramento expurgavit. Capitulum LXXXIII

Qui se a descriptione iuramento extraxerit et solutus, diiudicatus fuerit, iudex tamen in eo obtinebit suam penam. Et si sibi iudex fateri noluerit, ipse super eum bene deponere potest per unum virum, qui in eodem interfuit iudicio, quia nec captivus iudicio comparuit, nec proclamatus. Sin autem iudex inposterum ipsum obiurare voluerit, in nullo ipsum obiurare potest ulterius, quam ad suam penam, si super eo testes habuerit, quod se a descriptione obiuravit.

[hasła: kara, sąd, uwolnienie, sędzia, świadek, przysięga]

[84] [s. 47] De viro, super quem in querulatum fuerit pro debito. Capitulum LXXXIII

Si vir super alterum conquiritur pro debito cum testibus, hoc bene potest obtinere cum viris fidedignis, qui in suo iure non possunt reprobari. Ita tamen, si ille dicit se esse innocentem. Sin autem respondens dixerit se debitum persolvisse, extunc impedit suum testimonium et hoc bene potest probare cum probis viris mettercius tacto sacramento.

[hasła: skarga, dług, świadek, niewinność, zapłata, przysięga, samosiódm, współprzysiężnik]

[85] De querela, que facta fuerit super aliquem et ipse pecierit satisdacionem. Capitulum LXXXV

Si super virum conquestum fuerit et satisdacionem pecierit, alter sibi eam negare non potest, quin eam sibi faciat, si ipsum per sententiam ad hoc compellerit. Sin autem satisdacionem fecerit sibi, ad suum ius non nocebit, nec ille plus lucrabitur satisdacione, qui eam petit, nisi quod ipsum nullus amicorum suorum a modo impedire potest pro hac causa. Satisdacione facta suam querimoniam meliorare non potest.

[hasła: skarga, gwar, zabezpieczenie, wyrok, prawo, krewny]

[86] De facto manifesto, quod ad iudicium fuerit deductum. Capitulum LXXXVI

Omnis querela, que ad iudicium pro capitali crimine in facto manifesto deducta fuerit, debet conqueri cum clamore propter factum manifestum, quod ostendi debet. Manifestum factum ibi est, ubi vir cum furto aut spolio, aut preda captivus ad iudicium deducitur cum clamore. Item factum manifestum est etiam, ubi virum cum gladio aut cutello aut alia sicca in manu deprehenderit, cum quo pacem infregit, aut si in fuga facti captivatus fuerit et captivus ad iudicium deductus fuerit cum clamore. Hunc actor metseptimus vincere debet circa ius pacis, si factum manifestum cum eo ad iudicium deductum fuerit.

[hasła: skarga, kara śmierci, sąd, gorący uczynek, kradzież, miecz, nóż, sztylet, samosiód, przysięga, współprzysiężnik, prawo, pokój, pozwany]

[87] De iudicio burgrabii. Capitulum LXXXVII

In iudicio burgravii Meydburiensi[s] potest vir pro debito bene querulare super actorem, aut oportet ab uno iudicio burgravii ad aliud iudicium suam sequi querelam, ita quod semper suo adversario denunciatur. Si autem super virum querimonia cum testimonio <nota^a> facta fuerit in iudicio eodem Meydburiensi pro debito, et si dicit, quod persolvit, hoc probabit per homines fidedignos, quam ille ipsum vincere possit, quod facere potest incontinenti, si vult, aut per sex ebdomadas in iudicio sculteti. Sin autem vir unica manu iuramentum prestare debet, quod in eodem iudicio facere oportet.

^a na marginesie ręką autora podstawy

[hasła: burgrabia, Magdeburg, dług, powód, sąd, skarga, zapłata, świadek, termin, sołtys, przysięga]

[88] De iudicio iudicis. Capitulum LXXXVIII

Iudex debet iudicium suum omni die attemptare in vero iudicii loco, nisi vir conqueri voluerit pro debito absque testibus, quod statim iudicare potest absque mora. Recompensam et emendam et penam iudicis solvere debet ad diem, ut fuerit diffinitum. Recompensa et emenda actori et pena iudici solvatur in pagamento.

[hasła: sędzia, sąd, świadek, skarga, zwłoka, zapłata, kara sądowa, mulkta, nawiązka, zapłata, wynagrodzenie, zwyczaj, powód]

[89] [s. 48] De fiscacione seu publicatione bonorum. Capitulum LXXXIX

Si viro sua bona publicata seu fiscata fuerint iure, in eo ille possideat, qui hoc in fiscacionem deduxerit cum fiscacione tribus diebus et tribus. Insuper in eo debet comedere et bibere cum fiscacione, similiter et dormire. Deinde debet coram iudicio pronunciare tribus vicibus semper ad duas septimanas et ad quartum iudicium iudex sibi pacem desuper debet firmare, et sibi appropriare per sententiam scabinorum. Et tunc bene vendere potest cum scitu bonorum hominum. Sin autem ultra suum debitum aliquid de hoc superfuerit, hoc illi debet reddere, cuius fuerat hereditas. Sed si deficit, agat ulterius etc.

[hasła: konfiskata, dobra, posiadanie, sąd, krewny, termin, sędzia, pokój, wyrok, ławnik, sprzedaż, dług, dziedzictwo, własność]

[90] De bonorum arestacione seu equorum. Capitulum LXXXX

Si vir alloquitur aliqua bona, pannos vel quicquid suarum rerum fuerit, quod sibi subtractum aut raptum fuerit, ad hoc se unica manu trahere debet tacto sacramento, quod tunc suum fuit et nunc suum sit, cum sibi subtractum aut raptum fuerit. Sin autem equus fuerit, quem vir alloquitur, quod sibi subtractus fuit et eo spoliatus sit, ad hoc se trahere debet, cum suo dextro pede debet calcare equo super pedem anteriorem, et sinistra manu debet equum capere per dextram aurem, et petere debet reliquias et prolocutorem. Et iurabit equo super caput, quod tunc suus fuit et nunc suus sit, cum sibi subtractus aut eo depredatus erat. Et tunc ille ad suum se trahat venditorem et ipsum iurare oportet super sanctos, quod trahet se cum equo ad verum tutorem, ibi eum sequi oportet, nisi trans Mare Aquilonis. Sin autem vir dixerit, quod equum emerit in foro libero et venditorem habere non possit, tunc equum amittit et argentum pro eo datum, sed non amittit pro eo aliquam penam etc.

[hasła: skarga, przysięga, konfiskata, koń, kradzież, sprzedawca, srebro, kara]

[91] De eo, si vir conqueritur pro debito a manu mortua. Capitulum LXXXXI

Si vir conqueritur super virum a manu mortua, et eum infestare voluerit secundum edictum iuris, hoc facere potest unica manu tacto sacramento, si ille consenserit. Sin autem dixerit hic, super quem querimonia prolata fuerit, quod de debito nesciat vel in eo non sit obligatus, aut quod persolverit, hoc oportet iuramento approbare metseptimus^a tacto sacramento.

^a metVII

[hasła: skarga, dług, prawo, przysięga, zapłata, zobowiązanie, samosiódm, przysięga, współprzysiężnik]

[92] De viro, qui probabiliter scienter ad iusticiam se exhibuerit contra alium. Capitulum LXXXXII

Si vir cum scitu contra alium ad iustitiam se exhibuerit, et alter noluerit aut spreverit, et vulneret illum non querulando absque iure, et ille, qui vulneratus sit, inveniet defensionem et mutuo vulneret illum, ut hic, qui primo vulneravit suum adversarium, primo ad iudicum veniat et conqueratur, et alter, in quo pax violata sit, eciam postea veniet circa lucem diei et dicat, quod indicium illius fuerit et non suum. Si hoc, ut iuris fuerit, metseptimus protestabitur cum probis hominibus, qui viderunt et audierunt, qui presentes fuerunt, acquirit primam querelam. Vir potest filium suum eximere <nota^a> unica manu, qui est in pane suo non uxoratus, tacto sacramento, quod iuret sic, quia filius suus reus non sit etc.

^a na marginesie ręką autora podstawy

[hasła: sprawiedliwość, zranienie wzajemne, skarga, obrona, sąd, samosiódm, przysięga, współprzysiężnik, syn, zastępstwo]

[93] [s. 49] De facto mulierum, que manifeste detente fuerint. Capitulum LXXXXIII

Si femina deprehensa fuerit in facto manifesto in homicidio aut in vulneribus duello dignis, ac ipsam propius est vincere metseptimus cum hominibus fidedignis, quam innocens fieri possit. Extunc ipsam iudicium pati oportet. Si autem vir querulatur super feminam pro homicidio aut vulneribus, quod eadem die factum fuerit aut visum, et si feminam caucionem fideiussorie fecerit supra ius, de quo femina propius est evadere metseptima cum hominibus fidedignis, quam ultra aliquam vim in ea agere possit. Si autem femina inculpatur pro querimoniis pernoctatis, propius est femina evadere unica manu tacto sacramento, quam aliquis eam vincere possit, aut aliquid contrarium inposterum pati.

[hasła: kobieta, zabójstwo, zranienie, gorący uczynek, samosiódm, przysięga, współprzysiężnik, niewinność, skarga, uwolnienie od skargi, zwłoka]

[94] De viro, qui habet dupplices pueros. Capitulum LXXXXIII

Si vir dupplices pueros habuerit et primos antea eradicavit exponendo, et si postea secundis pueris aliquid dederit in suis bonis, et moritur idem vir, hoc secundi pueri ante tollunt. Et quicquid superfluum fuerit aut supermanserit, hoc equaliter inter se dividunt, cum omnes equales fuerint in natura.

[hasła: dzieci, wydzielenie, darowizna, dobra, równy stanem, podział]

[95] De impropere scabinorum. Capitulum LXXXXV

Si vir scabinum in sede aut scampno iudiciali sive in iudicio bannito indecenter increpaverit, si hoc probaverit per suos consodales, qui audierunt, illum oportet dare emendam scabino et iudici suam penam etc.

[hasła: ławnik, sąd wyłożony, zniewaga, sędzia, kara sądowa, mulkta, nawiązka]

[96] De homicidio aut vulneribus. Capitulum LXXXXVI

Si super virum querela fuerit facta pro homicidio aut pro vulneribus, et ipse se ad ius accomodaverit circa suam hereditatem ad comparandum, et non comparat, et profugus factus fuerit, tunc debet vocari cum clamore, ut iuris est. Et si non comparat in iudicio eodem, tunc debet describi et recompensa super suam hereditatem computatur aut iudicatur, et iudici sua pena. Nullus alicuius cogi potest caucionem facere fideiussoriam, quam se sua extendit recompensa, nisi sit pro debito, quod maius sit etc.

[hasła: skarga, zabójstwo, zranienie, ucieczka, prawo, sąd, zapłata, wynagrodzenie, dziedzictwo, spadek, kara sądowa, mulkta, poręczenie, zabezpieczenie, dług]

[97] De contencione facta nocte aut die. Capitulum LXXXXVII

Si casu contencio fuerit aut oritur clara luce diei vel tempestate noctis, et probus vir pro eo accusetur, qui ibi non fuerit visus, de quo propius est evadere metseptimus cum hominibus fidedignis, qui presentes fuerunt, quam duellum in eo aquirere possit. Sin autem super virum ydoneum circa noctis tempestatem querela facta fuerint pro homicidio aut vulneribus dignis duello allocutum fuerit, quod noctis tempore factum sit, de quo propius evadet metseptimus cum hominibus probitate probatis, circa quos tunc fuerit, cum hoc perpetratum est, cum sit defacto innocens etc. <Secundus sexternus ^a>

^a na dolnym marginesie ręką autora podstawy

[hasła: skarga, bliższość do dowodu, samosiódm, przysięga, współprzysiężnik, pojedynek sądowy, zabójstwo, zranienie, przestępstwo nocne, uwolnienie od skargi, niewinność]

[98] [s. 50] De petitione prolocutorum. Capitulum LXXXXVIII

Quem vir pro advocato rogaverit, hunc suam causam tenere oportet, nisi se excusaverit cum pena etc.

[hasła: pełnomocnik, prawo, kara]

[99] De suppellectili feminarum. Capitulum LXXXXIX

Quando vir moritur, tunc uxori sue debent presentari oves et suppellectilia, et ubi erunt culcitre, et qui habet vela, tecture currum, olle, picte, que ad supellectilia pertinent.

[hasła: gerada, mąż, wdowa]

[100] De iuramento incolatus. Capitulum LXXXXX

Nemo potest nec pro homicidio, nec pro vulneribus, nec pro aliquo debito suo iuramento probare incollatum etc.

[hasła: zabójstwo, zranienie, poddany]

[101] De tutoribus pupillorum. Capitulum C

Quando pupilli suum verum tutorem habere non possunt, quousque ipsos nullus ad aliquam responsivam iudicalem potest deducere, nisi prius ad annos pervenerint pubertatis etc.

Si vir super alterum conqueritur, quod sibi abedificaverit aliquid de suis bonis aut de hereditate, hoc ille possibilis obtinet, qui habet in possessione, nisi ipsum cum testimonio allocutus fuerit. Extunc possessor cum testibus servat, si voluerit.

[hasła: pupil, opiekun, lata sprawne, skarga, dobra, dziedzictwo, spadek, posiadanie, świadek]

[102] De iuramento pro enormibus verbis. Capitulum CI

Ubi vir promiserit iuramentum coram iudicio pro enormibus verbis aut depilacione, aut vulneribus, aut effusione sanguinis, de quo solus dimitti non potest, nisi voluntas fuerit iudicis et consensus.

[hasła: przysięga, sąd, zniewaga, wola, zgoda, zranienie]

[103] De civibus Meydburiensibus. Capitulum CII

Quousque cives Meydburienses veram accionem seu respensionem tenuerint et se coram suo domino pontifice ac burgrabio ac sculteto ad iusticiam se [s] exhibuerint circa civitatis ius, tunc nemo eos extra civitatem in alio iure occupare, seu contra eos agere in iudicio alieno [potest] etc.

[hasła: mieszczanin, Magdeburg, burgrabia, właściwość sądowa, prawo miejskie]

[104] De impedimento coram iudicio. Capitulum CIII

Nullus alterum impedire debet in iudicio, postquam iudicium bannitum fuerit cum iniuriis, talibus impedimentis, que ipsum impedire possint in sua querela, sicut clamore aut turpiloquiis, aut ceteris insolenciis. Si hoc contra iusticiam fecerit, et si paciens ipsum protestabitur cum iudice et scabinis, extunc acquirit suam emendam et iudex acquirit suam penam. Si conti[n]gerit in iudicio castellani, tunc tria talenta demerentur, et iudicio octo solidos. Et ubi homo suam emendam acquirit, ibi obtinet iudex suam penam etc.

[hasła: sąd wyłożony, skarga, przeszkoda, sprawiedliwość, sędzia, ławnik, nawiązka, kara sądowa, mulkta, kasztelan]

[105] De sculteto, si aliquem impedierit in querela. Capitulum CIIII

Nunc attendatis de sculteto, si scultetus impedierit aliquem in sua querela et sibi iusticiam non fecerit, [s. 51] et hoc sibi iniuste recusat. Si pro eo coram castellano aut avvocato impulsatus fuerit cum testibus, extunc ipsum cum testibus evadere oportet.

[hasła: sołtys, skarga, wójt, sprawiedliwość, przestępstwo sądowe, uwolnienie od skargi]

[106] De querela super iudice. Capitulum CV

Cum qualicumque testimonio super iudicem querulatum fuerit, tali ipsum iudicem evadere oportebit testimonio, sive sint scabini aut alii astantas [s] iudicio. Sin autem hoc coram iudicio banito fuerit actum, tunc melius potest vinci testibus iure, quam ipse testibus evadere possit. Sin autem vir cedere voluerit a testimonio et ipsum inculpare pro suo scitu, de quo unica manu evadere possit etc.

Et quando querimonia super ipsum coram avvocato facta fuerit pro hac causa, pro eo respondere tenetur sine mora, ita quod ibi sit iudicium bannitum, quia ibi ipsum oportet esse presentem, nisi legale impedimentum ipsum impedierit. Quod impedimentum statim probare oportet. Si hoc non ostenderit et non nominaverit, et hoc per iusticiam facere denegaverit se excusare de sua iniuria, quam exercuit, et se ad iusticiam exhibere [debet], extunc condempnatur ab avvocato in decem talentis idem advocatus et illi suum debitum, de quo denegavit, facere iusticiam, et medio tempore quo ille non solverit solus, aut se iure excusaverit iudicio proximo, tunc nullus iudex esse potest, nisi se ex hac culpa eximerit, secundum ut est premissum etc.

Sin autem pro facto criminali, pro quo iudicium facere recusavit, sicut pro vulneribus homicidio, aut spolio, aut ecclesie violencia, aut incendium [s], aut his similia [s], que crimina capitalia tanguntur, idem iudicium super eum, quod super

illum ire debuit, pro eo nec recompensam, nec aliquid facere potest, si in his vincitur, ut iuris est.

Si vir unus in captivitatem publicam presentatus fuerit ad tenendum iure, si ipsum amiserit advocatus aut si evaserit absque culpa sua aut negligencia pro crimine, quod transit ad collum, pro eo solvat integram recompensam. Sin autem pro manu, tunc mediam solvit recompensam et hoc ipsum iuramento probare oportebit tacto sacramento, quod sibi parcere noluerit, quod ipsum absque omni culpa sua amiserit.

Omne aurum et argentum non informatum, et omnis siligo et carnes, cervisia et vinum, et panis, que vel quod aut quantum post tricessinum permansit, vel permanserit, totum cedit heredibus viri et non mulieri, exceptis pulmentariis, de quibus mulier mediam recipit partem. Et heredes viri mediam reliquam tollunt etc.

Integra recompensa facit decem et octo talenta, media recompensa facit novem talenta.

[hasła: sołtys, skarga, przestępstwo sądowe, uwolnienie od skargi, ławnik, sędzia, odpowiedzialność, przeszkoda, świadek, wójt, skazanie, dług, wina, przestępstwo, kradzież, zranienie, zabójstwo, podpalenie, kara śmierci, zapłata, wynagrodzenie, przysięga, kościół]

[107] Iudicium super advocatum. Capitulum CVI

Nunc attendatis de advocato, si non iuste iudicaverit, cum sibi querulatur, et hoc propter amorem aut munera, aut ob aliquam causam dimittit, vel si solus noxam fecerit iniustam, quod de iure facere non debuit, postquam ad iudicem electus sit ius confortare et iniurias suffocare. Si querela super eum in suo iudicio facta fuerit, tunc scultetus iudex esse debet super advocatum et per hoc cogitur cum sententiis, quod ante ipsum oportet respondere, ut in posterius [s. 52] patebit. Petat advocatum surgere per sententiam, quod super ipsum habeat querulare et per sententiam petat, ut alium iudicem ponat loco suo, quod ipsum facere oportet. Et tunc locet scultetum, qui sibi iudicare debet simili modo, ut advocatus super scultetum iudicare debuit. Eodem modo scultetus iudicet advocatum. Idcirco advocatus iudicium banitum habere non potest absque sculteto, quia coram eo iure se exhibere oportet seu respondere, si super ipsum aliquis voluerit querulare. Si hoc contra iusticiam anno et die recusaverit, tunc domino terre iudicium vacat, quod habuit ab eo, et regi bannum, si persecutus fuerit cum veris sententiis etc.

[hasła: wójt, skarga, wyrok niesprawiedliwy, sołtys, sędzia, odpowiedzialność, sąd wyłożony, rok i dzień, termin, sąd królewski]

[108] De irruencia domiciliorum. Capitulum CVII

Si aliquis alteri irruenciam domicilii fecerit nocte aut die, et si ille eum detinuerit in facto manifesto, et ipsum captivum cum clamore ad iudicium perduxerit, si super eo homines habuerit, qui suum clamorem audierunt metseptimus suorum vicinorum,

factum ostendere possit, ut iuris sit, illi ad collum transit. Sin autem factum manifestum ostendi non potest, extunc ille propius est evadere metseptimus, quam per eum vinci possit etc.

[hasła: napad na dom, przestępstwo nocne, przestępstwo za dnia, skarga, sąd, samosiódm, przysięga, współprzysiężnik, krewny, kara śmierci, prawo, gorący uczynek]

[109] De obsidiis, quod femine stuprantur. Capitulum XVIII

Obsidia et quod femine stuprantur, et irruenciam domiciliorum burgravius iudicat et nullus alter nec scultetus. Si irruencia domicilii probabiliter potest ostendi cum vulneribus et cum vulneratis edificiis, et si super hoc homines ad iudicem, qui clamorem audierunt, habere potuerit in testimonium, oportet desuper respondere cum duello, quam cum iuramento evadere possit.

[hasła: zasadzka, gwałt, napad na dom, burgrabia, rana, sędzia, odpowiedzialność, pojedynek sądowy, przysięga]

[110] De promissione querele. Capitulum CIX

Et si vir querelam suam promiserit tenere, et si tempore medio concordia facta fuerit, extunc pro eo non plus amittit, nisi iudici dat suam penam.

[hasła: skarga, ugoda, kara sądowa, mulkta, sędzia]

[111] De debitis ex parte patris. Capitulum CX

Si vir querulatur super alterum pro debito, quod sibi pro parte suo teneatur, ipse debet super eo certificari, ut iuris est. Sin autem iurare voluerit, quod pater suus debitum persolvit, hoc ipsum facere oportebit metseptimum post manum mortuam. Sin autem dixerit, quod ipsum solus persolvit, hoc iurabit mettertius^a.

^a otoczone kropkowaną ramką septimus w sensie skreślenia

[hasła: skarga, dług, ojciec, prawo, zapłata, samosiódm, przysięga, współprzysiężnik, samotrzeć]

[112] De pecudibus que noxam faciunt. Capitulum CXI

Si aliquis habuerit equum vel canem vel aliud animal seu pecus quodcumque, quod loquela caret, et noxam sive damnum fecerit solvere tenetur. Sin autem dicit suum non esse damno perpetrato, sibi in suo iure non nocebit etc.

Qui canem servat oculte mordentem vel feram indomitam aut avem vel ursum aut symeam, quaecumque damnum faciunt, solvere tenetur. Et si eas dampno

perpetrato alienaverit, per hoc non est innocens, si mettercius poterint protestare et probare, quod eas detinuerit, quousque dampnum facientem.

[s. 53] Si homo eradit [s] canem vel feram vel ursum, cum sibi nocere voluerit, manere debet sine satisfaccione, si hoc tacto sacramento probare presumpserit, quod se defendendo hoc fecerit. Qui feras bestias extra gaya banita servare voluerit, debet ea servare sub custodia.

[hasła: koń, bydło, szkoda, prawo, samotrzeć]

[113] De eo, qui spoliat cives suos. Capitulum CXII

Si quis spoliaverit cives suos, qui proprium aut feodum aut hereditatem intra municipale habeat et si hoc prehabita querela faciat ante dominum terre vel ad suum iudicem, illi sua edificia debent abiudicare supra curiam suam et seccari, et illa edificia erunt communia et omnibus publicantur hominibus. Sin autem edificium iudicialiter fiscatum fuerit, ita quod ibi puella vel femina stuprata fuerit intra illud edificium, eciam resecari^a debet et abinde nullas duci.

^a w rkp. reserari

[hasła: własność, lenno, dziedzictwo, mieszczanin, sędzia, budynek, konfiskata, kobieta, dziecko, gwałt]

[114] De iuramento Iudeorum. Capitulum CXIII

Hoc est aliud iudicium et aliud iuramentum, cum quo aut per quod Iudeus iurare sive evadere debet Christianum, quod scriptum est in iure imperatorum. Ipse debet verti contra solem seorsum, stare debet nudipes super sedem unam, indutus clamide esse debet et pileum Iudaicum habere debet super caput. Si lapsus fuerit ter, totidem fertonem amittit. Et si quarto manet in causa reus, tunc dicit ille, qui sibi predicit iuramentum: “Ego te moneo, N, Iuda, per has tres litteras et per hanc legem, quam Dominus dedit Moysi in tabula lapidea in monte Synay, quod liber iste aut hoc rodale verum sit ac iustum, super quod tu, Iudee, iurare debes huic vero Christiano, N, pro tali causa pro qua te huc ad iudicum perduxerit.” Extunc sic iurare debet, et sic sibi predicetur, ut sequitur.

Quod tu in hac causa reus non sis, pro qua te hic idem vir Christianus inculpet, quod te Deus adiuvet. Idem Deus, qui fecit celum et terram creavit, aerem, rorem, montem cum vallibus, frondes, flores ac gramina. Et si sis reus, quod te terra absorbeat, que Dathan et Abiron absorbit, et si reus fueris, quod te venenum et gutta ac lepra invadat, que precibus Elisei Naaman Syrum dimisit et Yezey invasit. Et si reus fueris, quod te ignis conburrat celestis et caducus invadat morbus, et sanguinis fluxus invadat. Et si reus fueris, quod tu pereas in tua anima et in tuo corpore et in tuis rebus. Et si reus es, quod ad synum Abrahe nunquam pervenias et tibi accidat, ut uxori Loth, que transmutata fuit in statuam salis, dum Sodoma et Gomora periit. Et si reus es, quod ad synum Abrahe nunquam perveniens, et ad resurrectionem nunquam

pervenias, ubi Christiani et Iudei et gentiles ante Creatorem omnium rerum resurgent. Et si reus fueris, quod te lex deleat, quam dominus dedit Moysi in monte Synay, quam Deus scripsit solus suo digitto super tabulam lapideam, et te confundat omnis scriptura, que scripta est in Quinque Libris Moysi. Et si tuum iuramentum non iustum non mundum fuerit, quod te deleat Adonay et sua Deitatis potencia.

Excipit liber municipalis feria quinta proxima post die cinerum sub anno Nativitatis Domini Millesimo CCCCLXXIII^o [1473].

[hasła: przysięga, Żyd, Chrześcijanin, prawo cesarskie, Mojżesz, Synaj, powód, Sodoma, Gomora, Lot, Datan, Abiram, Elizeusz, Naaman, Jozue]